



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. 2. An Uxor adultera, facto divortio, amittat bona parapherna?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

## §. 2.

*An Uxor adultera, facto divortio, amittat bona parapherna?*

1599. Affirmativam sequitur Gloss. in c. Plerumq. V. *dotalitium. de donat. inter virum & uxorem*; Julius Clarus lib. 5. *sentent. §. adulterium. num. 15.* dicens: esse communem sententiam; & alii; sed rectius, & probabilius negatur. Ratio illorum est ex cit. c. Plerumq., ubi expressè dicitur, quòd adultera, vel spontè, metu pœnæ ob admittam fornicationem, vel per sententiam separata à viro, nec reconciliata, non possit repetere dotem, vel *dotalitium*, ubi per hoc intelligi volunt *parapherna*. Verùm, *dotalitium* non significat bona parapherna, sed donationem ad nuptias; ac, ut notat Sanchez l. 6. hic D. 1. num. 1. idem est, ac *sponsalitia largitas*, quæ fit à Sponso Sponsæ ob spem futuri matrimonii; ergo ex eo textu non probatur, adulteram facto divortio perdere bona parapherna; cum hæc non nisi valde impropiè veniant sub nomine *dotalitii*, & in pœnis verba strictè accipienda sint. Cæterùm magis placet expositio, quæ per *dotalitium* intelligit donationem, non ad, sed propter nuptias, de qua n. seq. ut etiam inlinuat ibidem Sanchez cit. & sequitur Engl in Coll. Juris Can. lib. 4. Tit. 20. num. 15. hinc rectius omnino dicitur, Uxorem, securo divortio, causâ adulterii, præter dotem non amittere bona sua parapherna, nec sponsalitiæ largitatem, ut dicemus infra; sed donationem propter nuptias, eo cap. *dotalitii* nomine significatam; de quo loquitur c. *plerumq.*

## §. 3.

*An Uxor propter adulterium viri, securo divortio, lucretur donationem propter nuptias?*

1600. Per donationem propter nuptias hic cum Haunoldo tom. 1. tr. 4. num. 346. intelligimus contra dotem in assurationem dotis; & videtur esse id, quod Pragmatici vocant *doarium*, seu pars bonorum mariti, ex consuetudine, vel conventio-

ne mulieri assignata, ut eam pro dote habeat obligatam, & post mortem mariti eam lucretur quoad proprietatem, vel usumfructum. Advertendum autem, naturale dominium contra dotis manere penes maritum; sicut diximus, *naturales* dominium dotis manere penes Uxorem, si viro eam non dedit ad emptionem; civile autem (ita, ut illi rei vindicatio competat) probabilius penes Uxorem, ut colligitur ex *Novella. 61. ut immobilia ante nuptialis donationis*; ubi cavetur, ut *immobilia ante nuptialis donationis, nec hypotheca dentur, nec omnino alienentur à viro, ne quidem consentiente Uxore, nisi postea fieri possit Uxori satisfactio*. Causa redditur, ne illi exinde fiat omnibus modis inadibilis vindicatio, aut difficultas. Etsi autem verum sit, quòd Uxor, ratione dotis, habeat tacitam hypothecam in bonis mariti, vi cujus præferatur reliquis mariti creditoribus, licet anterioris sit temporis privilegio vallati. L. 12. §. 1. C. qui potiores in pignor. licet habeant hypothecam etiam expressam (nam creditor, cujus pecunia res empta, vel reparata est, præcedit alios creditores, habentes hypothecam expressam, ex L. 5. ff. qui potiores; & L. 7. C. eod.) Uxor tamen vitæ hypothecæ, ratione suæ dotis, præcedit creditorem, cujus pecunia res empta, vel reparata est, ut expressè dicitur in *Novell. 97. c. 3.* ubi Imperator ad hanc quæstionem respondens ait: *plurimum super his cogitantes, non invenimus, mulierem justè existentem, cedere alicui tali privilegio*; ergo mulier vitæ hypothecæ, ratione dotis, præcedit alios Creditores etiam habentes hypothecam expressam. Nam si vinco vincentem te, multò magis te vincere debeo pat. L. 14. §. 3. ff. de divers. & temporal. præscript.

At licet verum sit, quòd Uxor, vitæ hypothecæ, ratione dotis, præferatur omnibus Creditoribus mariti, etiam anterioris temporis privilegio vallatis, ac etiam expressam hypothecam habentibus; id tamen fallit in tribus casibus. Primus secundum aliquos est in expensis funeralibus. Nam causa funeris præferatur causæ dotis